

livore tabescit, quoties illuc ascendere homines conspicit, unde turpiter ipse superbiendo descendit. Justorum igitur profectibus invidens, eorum ascensus ad gloriam impedire conatur. Hinc recte pius Asceta, filii, ait, inter hostes versaris, et a dextris, et a sinistris impugnaris; si ergo non uteris undique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere.

UTILITAS. — « Ad vitia curanda : » Nam, ut recte S. Chrysostomus advertit, peccatum est veluti sanies, poena vero vel tribulatio est sicut ferramentum medici. Hom. vi, ad Pop. Hinc recte S. August. Intelligat, inquit, homo, medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non poenam ad damnationem; sub medicamento positus, ureris, secaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. In Ps. xxi. Et ideo viri sancti, teste S. Gregorio, mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant.

« Ad Purgatorium evitandum : » Idcirco enim, ut ait S. Gaudentius Episcopus Brixie, pudice conversantem Dominus nunc tribulationum, et ægritudinum flagello castigat, ne in illo sordium aliquid futuris igitur inveniat: sed ut per exiguas plagas brevissimi temporis, ab omnibus purgatus masculis securior ad æternam migrare requiem mereatur. In præf. ad suos tract. Patientia itaque, ut bene advertit S. Laurentius Justin. sapienter agit, ut debita sua solvat. Nihil enim de suo in solvando expendit, sed facit, ut hostes sui pro se solvant. Illatis enim ab iis iniuriis ditatur abunde, sicque fit, ut contumeliis magis gratia, quam ira debeatur, cum earum interventu, Deo Iudice, et poena gravior declinari posse confidatur, et ingentes thesauri in conscientia per patientiam recondantur, Patientia hominem Martyrem facit. L. de Par. c. n. Hinc S. Eudosius (quem alii S. Basilium fuisse credunt) veluti exultans ex morbo exclamabat: Gratias ago tibi, o Conditor hominum tuorum, quod nos etiam invitos recte affligis, et per externum purgas, per adversa ad beatum nos finem perducis, BARON., t. IV Ann. ep. Arian., p. II, tr. ix, c. vi. Et B. Baptistæ Veranæ Ordinis S. Francisci Christus dixit: Cognosce te magis obligatam esse illi, qui tibi malum fecit, quam ei qui bonum; illæ enim personæ sunt, quæ purgant

animam tuam, et pulcrum faciunt, gratiosam, acceptam in conspectu meo. CHRON. FRAN., t. II, l. VII, c. xxiv.

« Ad virtutes acquirendas, et agendas; » nam, teste S. Augustino, ignis non est diversus, at diversa agit: paleam in cinerem vertit, auro feces tollit. In quibus autem habita Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probat. In Ps. xxi. Hinc S. Jacobus, omne gaudium, ait, existimate, « Fratres mei cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei patientiam operatur, patientia autem perfectum habet. » JAC., 1, 2. Non enim possunt virtutes esse virtutes, nisi rerum disciplinam conversionemque, quasi quædam sollicita mater patientia custodiret, teste S. Zenone Veronensi. Ad virtutis quippe perfectionem via tentatio est, ut S. Laurent. Justinianus recte dixit, quæ non solum hominem perficit, sed etiam divinæ Providentiæ thesaurus patefacit. ZENO., s. de Pat. S. LAUR., de Cast. connub., c. vi.

« Ad salutem assecurandam : » Neque enim, ut recte Blossius dixit, ullum certius signum electionis divinæ habetur, quam si quis tribulationem humiliter patienter propter Dei amorem sustineat: illa enim est pretiosus annulus, quo Deus animam sibi desponat. BLOSSIUS, Instit. spirit., c. viii. Hinc S. Chrysostomus, si flagellat, inquit, omnem filium, quem recipit, qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum. Ideo Deus minatur populo suo: dimittam vineam meam, et non putabitur, nec fodiatur. S. CHRYS., hom. xxix, in ep. Hebr. Ut adeo non immerito Sanctus Ambrosius dixerit: Fortasse cum persecutionem non patimur, tanquam condemnati habemur. ISA., v, 6.

« Ad justam, et honestam vindictam de lædente capiendam : » Id quod breviter, et nervose S. Isidorus Pelusiota sequentibus verbis indicavit: Eos, qui acceptas injurias philosophico ac patienti animo ferre minime volunt, hæc duo ad patientiam hortari debent. Alterum, quod eos, qui contumeliam inferunt, nihil æque discrediat, ut eorum, qui contumelia afficiuntur, patientia. Alterum, quod nulla ratione ipsos æque ulcisci queamus, quam virtutem colendo. Quod si minus fidei habendum putas, quidnam de hac re veterum quidam pronuntiavit, audi. Rogatus enim a quodam qua ratione hostem ulcisceretur, respondit: Si ipse probum

atque honestum virum te præbueris. S. ISIDOR., l. III, epist. clxxxii.

DIGNITAS. — Qui « Martyribus similes : » facit, ut S. Petrus, teste S. Clemente, dixit, triplex est homicidium, cædis, odii, detractionis. Hinc de S. Martino canit Ecclesia: O Sanctissima anima, quam, etsi gladius persecutionis non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit. JAC. ep. ix. Sed et S. Chrysostomus, S. Job infinitis Martyribus comparandum esse, et multiplici ac gratiore Martyrio per uxorem, et amicos ejus vitam carpes, quam fuerint multi Martyres cruenti. Quia alia mala tolerantem multorum præconia consolantur, in maledictionibus vero etiam consolatio subducitur. Hom. xxv, ad Pop. et hom. xv in Matt. Sed, et alibi ait: Credite, mihi, pejora sunt, quæ nunc patimur his, quæ Paulus passus est. Eum illi lapidibus cædebant, sed nunc accidit, ut verbis, lapide durioribus feriamur. Hom. xxxi, ad Popul. Vere ergo S. Climacus concludit: « Beatus qui propter Deum quotidie maledictis, et convitiis lacessit sibi vim fecerit: hic enim Martyribus tripudiantibus, Angelis parem confidentiam, et gloriam merebitur. »

Quia « Deo magis appropinquare facit : » nam, ut bene notavit Gregorius, afflictionibus fit Deo tanto proximam, quanto est a gratia favoris humani alienus, qui, dum compunctus sese in precibus accingit, inde intra se supernæ exauditioni jungitur, unde extra se ab humana laude separatur. Lib. X, Mor., c. xxvi.

Quia « Christo assimilatur : » uti Sanctus Laurentius Justinianus testatur, dicens: Assimilatur Christo patiens, quod est gloriosissimum: Sicut enim gloriosum militi est deferre arma Regis, sic est Christiano, portare stigmata Christi. Quanta est gloria sponse, assimilari sponso? nihil gloriosius reputat, quam Christi portaret opprobrium. De Pat., c. n. Hinc, ut B. Angela de Feliginio dixit, quod Deus Pater dilexit, et elegit, et dedit suo charissimo unigenito, hoc unigenitus diligit, et infigit, et dat charissimis filiis suis. Elegit autem Deus Pater suo Filio paupertatem, despectum, dolorem, persecutiones, afflictiones exterius, et interius tadium, pavorem, timorem, angustiam, agoniam, quæ sustinuit Dei Filius innumera-bilia. Studeamus ergo sustinere tribulationes temporales cum patientia, et gaudio. Vrr., c. xx. Id quod D. Bonaventura observavit,

dicens: « Nolo esse sine vulnere, o bone Jesu, cum te sic vulneratum videam. « Non convenit, Domine, ut ego gregarius miles cuticula non saucia, et bene curata triumphem, tu vero Dux in oculis meis pene unum, sed grande ac lacrymabile vulnus pendeas, et expires. » DREX., in Ros., p. II, c. v, § 1.

Quia « Deo similes facit : » nam, teste S. Chrysostomo, nihil est, quod sic similes Deo faciat, ut malignis atque lædentibus esse placabilem. Hom. xx, in Matt.

JUCUNDITAS. — Quia est « signum amoris divini erga nos : » ut Christus ipse quondam B. Baptistæ Veranæ dixit: Recordare, magis me tibi ostendisse signum amoris, dum te affligi, quam dum te tenerem arcte in dulcissimis brachiis. Cui autem jucundum non accidit in brachiis Christi, et multo magis in pectore per amorem quiescere? 4. p. CMO. S. FRAN., l. VII, t. II, c. iv.

Quia est « exercitium potissimum nostri ergo Deum amoris : » nam, ut ipse Deus olim S. Catharinæ Senensi dixit, quanto sustinetur amplius, tanto magis dilectionis meæ signum ostenditur. Nihil autem tam præclarum ad gloriæ rationem, et fiduciæ, teste Sancto Chrysostomo, quam a Deo diligenti, et ipsam diligentem tanquam Deum diligentem tanquam Deum diligere. S. CAR., h. LXXIV, ad Popul.

Quia « insensibiles ac beatitudinis suo modo participes etiam in hac vita facit : » nam qui patientes sunt, et mites, et contumeliis affecti ac percussi, æquo animo ferunt, et taliter facientibus benedicunt, colestibus sunt virtutibus similes, multam habentibus impassibilitatem. S. CAR., h. XLVII, ad Popul.

Quia « Deo summum gustum, et voluptatem creat : » atque adeo, et nobis, quibus, si Deum sincere amamus, potior, et jucundior debet esse Dei, quam proprius gustus: ita enim S. Gertrudi revelavit dicens: « Hæc, pro qua tu oras, est mihi lilium electum, quod manibus meis portare affecto, suprema namque mihi est voluptas, deliciosaque, in anima hujusmodi casta ac pura morari. Ipsa rosa denique est mea suavitate olens; patientia namque illius, et in cunctis adversis gratiarum actio suavissimum mihi inferunt odorem. » L. I, Instit., c. xii. Alia vice eidem dixit: « Ille mihi offert simplicem nummum aureum sine gemma, qui sine adversitate est, et tamen de voluntate divi-

na in omnibus operibus suis Deo intendit; sed ille, qui in singulis operibus suis presens adversitate, et tamen de divina voluntate non discordat, et ille offert Deo aureum nummum cum probatissima gemma.» L. III, c. XII.

ÆQUITAS. — Quia tribulatio, qualiscumque illa sit, «peccatis nostris» tamquam justissima «pœna» debetur; nam, ut recte dixit S. Theresia, si omnia bene, et accurate expendantur, nunquam sine omni prorua culpa, et plane immerito accensamur. Semper quippe culpis scatemus, et mentiremur haud dubiæ, si nullum nos habere peccatum dicemus. *Itin. perf.*, c. XIII. Unde omnes cum tribus Pueris Babylonicis dicere possumus et debemus: «In veritate et iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.» DAN., III, 28.

Quia tribulatio velut «medicina» a medico peritissimo Deo submissa est; si ergo corporum medicinam exercentem, inquit Simplicius, urentem, membra resceantem, et plane sævos carnifices imitantem, malum non dicimus, sed bonum: si medicis cum gratiam habemus, tum mercedem numeramus, cur in medicina Dei non acquiescimus? SIMPLICIUS, ad e. XIII, *Episc.*

Quia Deus noster, ut ait P. Ballassar Alvarez, qui non bis puniri in idipsum «cum semel id facit, «expurgat desolatione temporalis,» quod fuisset æterno igne puniendum, et abluit aqua rosacea, quod fuisset sanguine crudelibus cruciatibus affundendo purgandum. *Vit.*, c. LII.

Quia «pro Dei consilia,» teste S. Gregorio, agit, ubi hujus peregrinationis Electorum vita turbetur. Via est vita præsens, qua ad patriam tendimus; et ideo hic occulto iudicio, frequenti perturbatione conterimus, ne viam pro patria diligamus. S. GREG., I, XXV, *Mor.*, c. XV. Nam, ut bene S. Augustinus discurrit, si, dum amarus est mundus, diligitur, putas, si dulcis esset, qualiter amaretur. S. AUG., s. III, *de Temp.*

Quia pro certo tenendum est, ut ait S. Basilus, et confitendum etiam, dilationem eujuscumque boni, atque adeo ipsam etiam eorum, quæ Christi causa patimur, incommodorum tolerantiam, «a Deo nobis proficisci.» S. BASIL., in *Mor. reg.* LV, c. I. Unde recte concludit S. Augustinus: «Si Deum diligis, quod facit Deus, diligis. Et si quod facit Deus diligis, disciplinam Dei fla-

gantem te diligis. O quam jucundo peccatore, quam læto corde visitationem divinam debes præoptare! Si sanitatem infirmis optabilem tibi concessisset Deus, nonne cum omni gaudio illud donum Dei susceperes? certe majori exultatione, et affectuosiori voluntate, cum gratiarum etiam actione, hanc Dei animadversionem debes tibi unicam habere, quia et hoc utilissimum Dei donum est. S. AUG., s. *de Visit. infir.* Certe talis Justorum mos est, teste S. Joanne Chrysost., ut, quando aliquid propter Deum ferunt, non res ipsas, quæ sunt, spectent, sed causam secum expendentes, facile omnia ferunt. Amor quippe Dei gravitatem molestiam imminuit, neque sentiri sinit, dum nos invaserint. S. CHRYS., hom. XXV, in *Gen.*

ALIA MOTIVA.

«Quia per patientiam rependimus passionem Christi,» ut S. Bonav. indicavit dicens: Patientia singularis est retributrix Passionis Christi: «talia enim studet rependere, qualia ab eo accepit, qui dolores nostros portavit, et hæc est singularis lætitia Sanctorum, in tribulatione patientium, et gaudentium, quod sic occasione habent, et opportunitatem aliquo modo retribuendi Domino, pro illa magna charitate, qua pro nobis animam suam posuit, saltem aliquod sustinendo.» S. BON., I, II, *de Perf. Rel.*, c. XXXVI.

«Quia Deus plura patitur a nobis,» ut Idiota sapienter advertit, dicens: «Ideo dum tribulamur, fortitudinem et firmitatem virtutis habere debemus, quia non tanta a te toleramus, quanta a te ex nobis miseritolerantur. Et ideo sine dubio levius tolerare debemus minora, quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis illa, quæ tibi inferimus. Idem paulo ante dixerat: Tu es Deus, Judex justus, fortis et patiens, nec irascaris per singulos dies. O misericordissime Domine Deus meus, si tu patiens est erga nos miserabiles peccatores, super iniquitatibus nostris, quanto magis patientes esse debemus in tribulationibus, et adversitatibus nostris, quas propter scelera, et peccata nostra quotidie sustinemus.» DICTA, I, *Devit. patient.*

«Quia patientibus omnia convertuntur in

bonum:» Quanti lapis sille æstimandus foret, qui ex congenita sibi proprietate plumbum in aurum commutare posset? Jam vero S. Bernardus inquit: Cum dicat Apostolus *ad Rom.*, c. VIII «Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:» hoc est, quod justis omnia adversa per supportationem, et patientiam convertuntur in bonum; propterea non oramus: Libera nos a tribulatione et pœnis, sed a malo, quia adversitates convertuntur justis ad gloriam, et coronam. Cæteræ nempe virtutes utuntur hominis bonis, sed patientia utitur ejus malis. Idem alibi postquam hominem in hac vita tribulationem nequaquam declinare posse ostendisset, mox, quæ inter hominem perfectum et impium est differentiam, in hæc verba considerat: «Tribulatio patientiam operatur, scilicet in sapiente, qui per tribulationem lucratur talem virtutem, sed stultus in tribulationibus nesciens esse patientis, angustias et flagella portat, et nullum lucrum inde se habere. Ad hoc nempe pertinet exemplum de duobus, qui sub pœna mille ducatorum, vel mortis in carcere missi erant, quibus a devoto viro duræ bursæ, cum totidem florenis, projectæ sunt per fenestram, quibus carcerali percussis sunt, quorum unus ægre ferens percussorem bursæ, ipsa extra fenestram projecit, alter vero suam pro evadenda morte dedit debitoribus suis. Spiritualiter nos omnes sumus debitores non carni, sed divinæ justitiæ pro peccatis; Deus autem nobis projicit bursam patientiæ cum flagello, quam qui efficit, meritum perdit, et tamen penam flagelli non evadit; imo sibi tanto gravior fit, quanto minus voluntarie flagella suscepit. Hoc autem est sciendum de divina misericordia, quod tribulationes ultra vires non perimit, sed, ut inquit Apostolus: «Fidelis est Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis: sed facit etiam cum tentatione provientum.» S. BERN., t. I, s. VI, ar. III, c. XVIII.

«Quia per patientiam tribulationes levius tolerantur;» ut præclare ostendit Isidorus Pelusiota dicens: «Considera, si quis illatum tibi injuriam ulcisci velit, quasnam acerbitates perferat. Primo, furore perfunditur; deinde, ab ira interruptitur; primo enim ebullit affectus, deinde ad vindictæ cupiditatem existimatur; tertio infinitos fluctus excitat; quarto mille cogitationum vias ingreditur; quinto metus subit, ac tre-

mor, animique angor, iracundia nimirum eum interrumpente, ac metu concutiente, dum illud secum agitatur, quoniam pacto, quod cupit, acquæquatur, acceptamque injuriam vindicat. An non videtur tibi hujusmodi homo, autem eum, qui penas daturus est, ipsemet penas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus exemptus est. Ac sane merito, nam hoc in ipsius arbitrio situm est, atque ipse totum absolvit. Ille autem alter, non item. Verum et temporis commoditate opus est, et loco, et fraude, et versuta improbitate, et armis, et machinis, et adulatione, et servitute, et hypocrisi. Videsne, quemadmodum difficilis res sit, vitium; facilis autem virtus? Atque illud quidem tumulibus scateat, hæc autem ab omnibus perturbationibus remota sit. Qui ulciscendæ injuriæ studet, infinitam inimicitiam reddit; qui autem patientia utitur, eam quam occysime opprimit, et extinguit; unde importunum etiam ac sævum hominem mitigat, atque ad amicitiam allicit. S. Bernardus inquit: Quomodo natus sibi videtur homo, si labores fugitat et dolores: aut quomodo scit, se esse hominem, qui ad id paratus non est, ad quod natus? Homo, inquit, natus ad laborem. Cum igitur homini necessario patientium sit, numquid melius faciet, si cum merito patiatur, quam ex desperatione? Hoc enim faciens ex necessitate facit virtutem. Confirmat hoc ipsum Belloc. inquit: Infirmus necesse habet corporaliter sustinere dolores, velit, nolit; quos si non patienter sustinet, gravatur dolor, quia cum afflictione corporis est etiam desolatio cordis, et suæ facit animæ detrimentum, si autem haberet patientiam levius sustineret, et citius et facilius curaretur; et infirmitas sibi fieret in meritum, et salutem; et sic in his quæ patimur, faciamus de necessitate virtutem. ut quæ nobis essent damnationis, occasio fiant nobis et materia exercendæ virtutis, et acquirendæ salutis.» S. ISIDOR. PELUS., I, II, ep. LXVIII.

«Quia sine patientia graviores efficiuntur tribulationes,» ut recte advertit Fullo-nius, dicens: Non modo non exennt malis suis, qui obluantur, sed ea per ipsam obluentionem augent: et impatientiam, quæ tristitiæ genus est, cordique dolorem imprimit, aliis doloribus superadjungit. Fabricians, quantumlibet sese in lecto convolvat, sebrim non excutiet, imo agitatione

magis accendit. Latro a satellitibus comprehensus, si obsistit, manicas præterea patitur, et pedibus pulsabitur, et nodosos stiptices sentiet. Laqueos inquit Seneca Lib. de Consol. ad Helviam, fera, dum jactat, attingit. Aves viscum dum trepidantes excutunt plumis omnibus illiunt. Nullum tam arcum jugum est, quod non minus lædat ducentem, quam repugnantem. Aiunt medici, cum venenum ab animali epotum est, cor quod illo maxime petitur, intumescere, agitari, poros calore distendere, ut se defendat, et ea ipsa defensione venenum citius ad se trahere, atque intra suscipere. Ita impatientes nimia adversus dolores repugnantia et commotione, plus doloris concipiunt, aditumque illi ad cordis intima aperitur. Narrant, Agesilao Spartanorum Regi arthritide vexato, Carneadem Philosophum affuisse: et, ne molestus esset, sermonem abruptum, et abire voluisse: at illum, ostensis manibus ac pedibus primum, dein cordis sede, dixisse malum illic esse, huc autem nondum penetrasse; itaque assideret, et confabularetur. Longe aliter cum impatientibus agit, quibus majus malum a mali odio, quam ab ipso malo est; et qui optime dicere de se possunt, quod alia sententia Tobias: « Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? » quid lætitiæ illis erit, qui Dei providentiam per calamitates ad æternam ducentem non aspiciunt? FELLON., in *Bona vol.*, p. III, sect. 3, n. 4.

« Quia jactura præmii per patientiam obtinendi, est inæstimabilis; » ita idem insinuat his verbis: « Crescit infortunium ex eo, quod ingentem thesaurum meritorum impatientia sua misere prodigi perdat. Quantum miles inter vulnera, alicuius inter dignitates quotidianas, ancillæ et servi inter dura imperia, artifices in laboribus, quilibet hominum in suis calamitatibus, lucrui cum Deo facere potuerant, si toleranter ferre incommoda ingruentia voluisset! Sed heu! viri divitiarum dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt in manibus suis. Struthio, crassum et stupidum animal, alas habet, sed non subvolat. Habuere isti alas, quibus in cœlum evolarent: in sabulo ac ceno hærerere maluerunt. Hoc infidelibus exprobrabat Aug. I. I, de *Civitate*: Perdidisti utilitatem calamitatis et miserissimi facti estis, et pessimi permansistis. Salvianus I. VII, de *Providentia*, idem de ætatis sua

hominibus conquerebatur: Quid hoc mali est? jumenta et pecudes sectione curantur: nos nec cauterii adustione, nec ferri desecatione curantur: imo, quod pejus est, cura ipsa deteriores sumus. » Id., n. 5.

MEDIA.

Plurima a variis Ascetis, et SS. Patribus assignantur, sed quæ fere ad tria genera revocari possunt. Nam 1. aliqua positive desponunt animum ad adversa fortiter toleranda, ut sunt variæ considerationes et illustrationes intellectus, quibus necessitas, utilitas et dignitas patientiæ cognoscitur, et ex æquo aestimatur. 2. Alia sunt, quæ varia impedimenta et obstacula patientiæ remouent, qualia sunt, quæ sinistram ad adversis opinionem, aut inordinatum ad res aliquas creatas affectum tollunt. 3. Alia roborant voluntatem, ut firmius sibi constet in variis adversitatibus ingruentium occasionibus, qualia sunt, quæ ad solidum virtutis fundamentum ponendum, gratiamque divinam copiosius obtinendam juvant. Quæ omnia proin nunc singillatim explicanda, et Sanctorum Patrum aut aliorum auctoritate confirmanda sunt.

MEDIA DISPONENTIA. — « Considerare Christi exemplum: » nam in eo, ut Tertullianus testatur, Deus Spiritum suum cum tota patientia collocavit. TERTUL., I. de *Patient.* Hinc ipsemet per Prophetam hortatur: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus. THREN., I. 12. Multum profecto confert, teste S. Chrysostomo, ad incitamenta virtutum, Magistrum lucentem aspicere, nec cedentem. S. CHRYS., h. IV, in IV, ad *Tim.*, I. Ideo Sanctus Petrus, communicantes, ait, Christi passionibus gaudeat, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes: et iterum: Si exprobramini in nomine Christi, beati estis, quoniam, quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est Spiritus ejus, super vos requiescit. PETR., IV, 13 et 14. Super quæ verba S. Laurentius Justinianus ait: Utriusque lætitiæ ingens est causa, et persecutionem pati pro Christo et conformari Christo: de persecutione quidem merces, et de conformitate provenit honor. Et subdit: « Se propterea Christus voluit transformare in singulos, ut charita-

tis compagine singulos reformaret in se, conformaretque sibi. Fecit se sicut te, ut te faceret sicut se. » S. LAUR. JUST., *Fasc. an.*, c. XI. Quæ omnia pulchre confirmans S. Bernardus: « Sponsus animæ, inquit, non putat quidquam persuasibilis fore ad ineundum certamen, quam si seipsum certaminis aut exemplum proponat, aut præmium. Utrumque es mihi, Domine Jesu, et speculum patiendi, et præmium patientis. Utrumque fortiter provocat, et vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia majestatis, sive quia pugnantem te spectro, sive quia te expecto, non solum coronantem, sed et coronam: in utroque mirabiliter me tibi allicis, uterque funis violentissimus ad trahendum. » Hinc ipse S. Job in Spiritu elevatus exemplum sibi proposuit dicens; Vestigia ejus secutus est pes meus. JOB, XXXII, 4. Ut qui occulte dispositionis ejus sublimia videre non poterat, quasi in terra conspiciens ad imitationem, ejus vestigia teneret, ut loquitur S. Greg., c. I. Sed et ipse Christus: Cum in cruce pendulus hæsero, inquit, omnia ad me traham, hoc est, omnes homines ad me rapiam, ut ex receptissima sententia Hugo Cardinalis id hæc sua paraphrasi exponit: « Omnia traham ad me ipsum, omnia genera hominum, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in aliis omnibus. Quando avidus venator per abrupta, perque densa sylvarum timidulum infectando fatigat cuniculum, solet is, ut paratam effugiat necem, intra concava saxorum se recipere, ut venatorem, mortemque adeo effugiat, juxta illud Psalmistæ Psal. CIII, 18, ex translatione LXX. Petra refugium cuniculis; atque ea ratione omnis diligentia, industriaque venatoris frustratur. Verum ubi nulla sunt saxa, nulla antra, nulla spelæa, ibi obliet venator, prædamque non tam difficile assequitur. » Dicit nunc Ambrosius: Antequam Christus dux noster, et antesignanus esset, videntur homines, cum ad patienter ferendum molesta piis exhortationibus urgebantur, qualicumque titulo tergiversari, et refutare onus potuisse, ac dicere: Nolo pati Christo Duce suo ac Magistro nondum in carne passo, nullum habentes ejus exemplum, quo ad tolerandum libenter gravia permoverentur. Poterant meticulosi illi cuniculi

ad saxa confugere, et intra specus talium excusationum sese abdere, sed Christo jam passo ac mortuo, petræ scissæ sunt, omnes factæ excusationes sublata; ob quas passionem defugere posse videbantur; nec habet deinceps homo, quo se purget, non habet, qua evadat, quando Ecclesiæ venatores, prædicatores dico, illum insequuntur, hortantur, obstringunt, ut magno et æquo animo adversa omnia ferat. Postquam enim caput, Rex et Dominus tam multa ac dura passus est, quid excusationis obtendere possunt membra, subditi, mancipia, ut non libenter quidvis tolerant? Circumcisionis jugum quam molestum, et terribile fuerit, scimus, de quo S. Petrus Actor, xv, 40, dixit: « Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? » voluit Deus hanc tam gravem legem invehere, et populo suo servandum dare, atque ob id præcepit Moysi Duci populi sui, ut is quemdam filium suum circumcideret, cui jussioni ut obtemperaret, Sephora uxor ejus circumcidit præputium filii sui. *Exodi*, IV, 25. Quæri potest, cur ad introducendam hanc tam duram legem primum Moysis filium eam subere debuit? Quare hoc gravissimum mandati onus ante omnes alios excipere debuit filius Ducis? Respondet acute Tertull. I. *Advers. Jud.*, cap. II. Idcirco filium Moysis futuri Ducis instigat Angelus circumcidi, ut cum cœpisset per eum populo dare præceptum circumcisionis, non aspernare tur populum, videns exemplum istud in filio jam Ducis celebratum. Aptissime dictum: caro et sanguis omnem vehementer defugiunt passionem; perdere charam ac dulcem vitam, ut ne prodas fidem, perdurum accidit; verum ut facile reddatur, neque excusare quisquam a passionum, mortisque lubente tolerantia se possit, Filium suum unigenitum Pater in cruce suspendit, ut, dum creatura suum Creatorem, et reus innoxium tam indigna tolerare cernit, ob oculos tanti amoris invicem debiti officii, tamque proximæ charitatis, libentissime, ac liberalissime impedit facultates, voluptates, honores, vitam, et quæ illa cumque habet. DR. NYLL., p. I, *Sabb. post 5. Dom. quadr.* § 5. Joannes Servilius hoc prodigiosum refert, quod Ægyptii Reges, ut erant in sumptuosa ædificia, et superbas pyramides excitandas effuse propensi, quas regiorum cernerum suorum fatalia monumenta volebant;

ita quemdam eorum, cum hac re majoribus suis antecellere vellet pyramidem adornare voluisse eo artificio, elegantia, sublimitate, ut cæteris splendorem, existimationemque detraheret, hominibus vero stuporem adferret. In tantam autem altitudinem fastigiatam eam voluit, ut sculptores, cælores, fabri, et quicumque operam huc suam conferebant, prosequi opus non auderent, quos ut ad perficiendam rem ceptam incitaret, in culmine adificii figi præaltam trabem, et affigi trahi filium quemdam suum iussit. Moti, animatique eo spectaculo opifices adjecerunt pectus, manusque ad opus, nec submoverunt, donec ad culmen educerent, quamvis præsentaneo cum vitæ periculo conjunctum esset. Ita enim secum reputant: Si Rex non pepercit filio suo, tantum ut tantam molem excitaret, cur nos tantam vitæ nostræ rationem habeamus, qui sumus subditi? Quod ille superbus Rex a vanitate sua incitatus fecit, hoc æternus Pater sui infiniti amoris, et charitatis erga homines immense impulsus egit. Salvatoris moles, quæ excitanda erat, tam est vasta, et sublimis, ut ad eam erigendam homo (si id res postulet) facultates, honorem, vitam, et quæcumque sua periculo exponere, et huc vertere debeat: quoniam vero id arduum est, quæ excitanda erant, omnia illa a se abicere; ut facile tamen iis homo rennunciaret, quid fecit æternus Pater? Tullit, ut Filius suus in summo Calvarie montis vertice celsam in crucem ageretur, ut non solum per illum redimeret homines (quod primum), præcipuumque tunc agebatur verum etiam tali exemplo doceret, quod ille ipse Filius suus vitam, et honorem, et sanguinem, et sanguinem totum vertere, et convertere in usus hominum, salutemque sciret, tametsi nulla huc eum necessitas adduceret, uti hi etiam, cum Dominum, ac Deum suum tanta pericula, et incommoda adire cernerent, pro ejusdem amore honorem, gloriam, omniaque sua volentes, lubentesque profunderent. Hoc est, quod ait Christus: « Et ego si exaltatus fuere a terra, omnia traham ad me ipsum. » Omnia, hoc est, corpus et animam, inquit S. Augustinus, omnes sensus, affectus, cogitatus, voluntatem, memoriam, intellectum, vitam et cætera, quibus illa constat, ad me rapiam. JOAN. SERVIL., tit. de Prodigio. Pyramd. Jeremias dicebat: « Non sum turbatus; » sive ut habent LXX, « non la-

boravi, te pastorem sequens, Jerem., XVII, 46, hoc est: cum te a tergo, « O pastor, sequens, video illud tam crudeliter sulcatum, et excarnificatum flagris, non modo non moleste accipio, cum vapulorum verum etiam nihil me pati existimo, nam et dolor nitescit: et omne pus suum mea exemplo vulnera expuunt, quoties te sine causa passum considero, et me atrociora magnis modis promeritum cogito. Admirabilem sponsæ suæ venustatem, et formæ decentissimam speciem cum ingenti voluptate apud se reputabat sponsus, quando hæc dicebat: « Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias; » Cant., II, 2. S. Bernardus ait, hoc loco non solum commendari pulchritudinem, sed etiam formidari pericula; itaque exclamat: « O candens liliū: O tener: O delicatule flos, increduli et subversores sunt tecum. Vide, quomodo caute ambules inter spinas, plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt spinæ, quæ te e proximo petunt, velut in tuam perniciem conjurant. Sed quid egit sponsa in medio fœderatorum, et infensissimorum tot hostium posita, ut inter eas angustias respirare posset, neque prorsum defeceret animo? » Mox subjunxit: « Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios, » Ibid. v. III, videamus quo consilio hæc sponsa dixerit. Sed mellifluus Bernardus id nobis aperiet, cujus sunt iterum ista: Hoc loco non prædicatur magnus Dominus, et laudabilis nimis, sed parvus Dominus, et amabilis nimis, parvus utique, qui natus est nobis, non majestas hic attollitur, sed commendatur humilitas. Videte nunc verborum sponsi et sponsæ mutnam consonantiam. Ut graves sponsæ persecutiones, quibus exposita vexabatur, sponsus indicaret, lactei, et molliculi liliū eam similem dixit, quod præacutis spinis incinctum punctum, cæsique ab eis, velut in perniciem ejus conjuratis, certatim appetatur. Unde vero inter has angustias solatium sibi sponsa accersit? Id a verbis ipsius superioribus accipias, quæ talia sunt, ac si dixisset: Quid nimirum, quod ego sim, quale liliū inter hamatas spinas, sic dilectus meus sicut malus inter arbores sylvestres? mihi hoc inter meas spinas et erumnas incredibile adfert levamen, quod video summam Dei majestatem inter homines humilem, in carne mortali abbreviatam, et

angustatam, probrisque, et Iudibrio expositam. At si sponsum meum, eundemque Deum, ac Dominum meum sic angustatam doloribus, sic atritum cruciatibus video, parum est, quod ego calamitates quas-cumque meas vultu hilari, et æquo animo feram. Nyss. Do., *Infra oct. Ascens.*, §. 2.

« Considerare exempla Sanctorum; » ita Thomas Kempensis suasit: « Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima. L. III, s. XIX, §. 1. Nam morientium Societas gravem tristitiam vehementiam auferre consuevit. Sicut enim in onere, si quis partem ponderis susceperit, soli ferenti sarcinam levavit, sic et in omnibus aliis, ait S. Chrysostomus. S. CHRYS., h. LXVII, ad Pop. Quod a fortiori locum habet, si socius etiam affectu condoleat, nam, teste S. Gregorio Nazianz. magnus est infortunato remedium miseratio ex animo collata, ac sincere condolecere calamitatem maxime juvat. Cujus effectus duplicem rationem assignat S. Thomas cum Aristotele, nempe tum, quia talis putat alios partem oneris in se velle suscipere, tum quia per hoc advertit se diligi, quod est per se delectabile; unde, cum omnis delectatio mitiget tristitiam, idem de amico condolente concedatur necesse est. S. TH., I. II, q. 38, n. 3.

« Considerare exempla hominum malorum ob oculos ponere, ut S. Augustinus sequentibus verbis monet: « Pro apertis sceleribus non ut ea puniantur, sed ut perpetrent multa homines gravissima perferunt. Nonne de quodam nobilissimo patriæ parricida (de Catilina loquitur) sæcularium litterarum loquuntur auctores, quod famem, sitim, frigus ferre poterat, ejusque erat corpus patientiæ inediae, algoris, vigiliæ, supra quam unicuique credibile est? Quid de latronibus dicam, quorum omnes, cum insidiantur viatoribus, noctes perpetuantur insomnes, atque ut transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet cœli asperitate nocentem animum corpusque defigunt? In his miranda potius quam laudanda patientia. Nihil autem illic jure laudandum; nihil utiliter imitandum. Tantoque rectius majori supplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitis subdit instrumenta virtutum. Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ, patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentæ. S. AUG., de Bono patient., c. v.

« Considerare voluntatem Dei, » tribulationes ob altissimos fines mittentis; ita Christus ipse Sanctam Catharinam Senenensem docuit dicens: In injuriis tibi facilis judica, quod voluntas mea ita permittit, vel ordinat ad experientiam virtutis in te pariter, et in aliis amicis meis, judicando, quod ille facit ita, velut instrumenta a me positum et ad hoc electum. DIAL., c. c. Hinc Mariæ Diazæ olim de nimio frigore querenti dixit: « Ego feci hoc frigus, et tu quereris? » Hoc medio salubriter usus est Sanctus David dicens: « Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. » Sed et Sanctus Jacobus, dum diabolo verbera munitant dixit: « Si tibi est permissum a Deo universorum, percutite, et plagam libenter accipiam, ut qui ab illo feriar. » THEOPH., *Hist.*, c. XXI. Hoc ipsum medium Christus ipse Sancta Catharina Senensis suasit dicens: « Volo te nosse, quod omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate consistunt, quia si voluntas esset ordinata, et concursus cum voluntate mea, careret quodammodo pœna. Quamvis enim, qui hac sancta ordinataque voluntate præditus est, sentiat laborem, et dolorem, quicquid tamen amore mei sponte patitur, quasi sine pena portat, libentissime enim illud sustinet, considerans et sciens, meam esse voluntatem, atque permissionem, ut patiatur. » BLOSUS., in *Conclavi animæ*, c. Hoc medio S. Lupus Episcopus usus est, de quo Cardinalis Baronius scribit, quod cum Attila formidabili exercitu instructus ad destructionem Troiæ in Francia accinctus esset, Sanctus Lupus civitatis illius Episcopus pontificaliter vestitus, toto Clero comitante obviam ei processerit, eique dixerit: Tu quis es, qui tot devictos Reges, desolatam tot Provincias tuo subjicis imperio? Cui ille respondit: Ego sum Attila Hunnorum Rex, flagellum Dei. Moxque Dei Episcopus subjecti: Ecquis flagello Dei resistet? Veni igitur, o flagellum Dei mei, utereque libere omni eo, quod is tibi est concessurus quibus verbis Rex barbarus mitigatus, a facta resolutione civitatem illam exterminandi remisit, sanctumque Episcopum benigne amplectens, ejusque se orationibus commendans dicebat. Ex qua historia clare deducitur, quod dum flagella a Deo provenire agnoscimus, cum eadem æquanimiter recipere debeamus, utpote ad majus nostrum, majoremque Dei gloriam ordinata. Tertull. in lib. de *Patientia* ait: Quod si a

Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam, quam Domino praebeamus? quin insuper gratulari, et gaudere nos decet dignatione divinae castigationis. Ego, inquit, quos diligo, castigo. BARON., anno 451, n. 40.

« Considerare Dei iudicium » de nobis, et innocentia nostra : id quod sapienter suavitatis Gregorius Nazianz. dicens : Si Deus nobiscum, quis contra nos? atque plerisque secus videtur, inquit : Quid mea interest, qui rei veritatem magis curo, imo solum curo? hoc enim me condemnaverit, vel absolverit, hoc miserum vel bonum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita multis video, ait? at Deo ita. Imo non video, sed perspicuus atque manifestus sum ei, qui omnia prius, quam oriatur, novit, qui corda nostra sigillatim fingit, qui omnia opera nostra, omnes motus, et cogitationes, ex quibus res a nobis geruntur intelligit : quem nihil eorum, quæ sunt, latet, nec latere potest : qui aliter res nostras intuetur atque mortales solent : (Homo enim videt faciem, Deus autem intuetur cor : audisti Scripturam hoc dicentem, et fidem adhibe) cujus iudicium cordatis hominibus pluris faciendum, magisque curandum est, quam omnium aliorum in unum coactorum. S. GREG., *Orat.* xxvii.

« Considerare præmium » patientiæ : sic enim et Christus, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. *Hebr.*, xii, 2. Nam, ut bene advertit S. Bernardus, guttatim pena bibitur, aliquando sumitur, per minutus transit; at in remunerationem torrens voluptatis, et fluvii impetus, flumen gloriæ, et flumen pacis. Flumen plane est, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet. S. BERN., *s. de Fallac. prof. Vit.* Quod ipsum etiam egregie confirmans Sanctus Augustinus ait : « Si te aliquis homo dives in hoc sæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servires? quas ei dignitates impenderes, et servorum, ejusque sævitia durissima, et aliquando etiam turpissima sustineres convitia, ut ad caducam, et fragilem ejus hereditatem pervenires? quod ergo ille sustineret propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. » S. AUG., *ap. Lanc. op.* iii, n. 461. Certe B. Bonifacius in Natali Domini visitatus a B. Virgine, cum Christus in lecto depositus, faciem remotis fasciis videndam illi præbuis-

set, dicere ausus est : « Si nihil aliud esse, in Paradiso, nisi facies ista benedicta, dignum esset pati omnes tribulationes, ut possemus videre faciam hanc gloriosam. » S. BONIF., *Menol. Cister.*, 19 feb. Id ipsum medium suavitatis Gregorius dum dixit : « Mala præsentis vitæ tanto durius animus sentit, quando pensare bonum, quod sequitur, negligit, et quia non vult præmia considerare, quæ restant, graviora æstimat esse, quæ tolerat. Unde et contra flagelli ictum cogitatio cæca conqueritur, et quasi infinita calamitas creditur, quæ diebus cursu labentibus quotidie finitur. At si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ immutabiliter permanent? oculum cordis figat proprium nihil esse hoc conspiciat, quidquid ad finem currit, præsentis vitæ adversa tolerat, sed quasi esse omne, quod labitur, pensat quo enim internis gaudiis robustius se inserit, eo minus exterius dolores sentit. » S. GREG., l. X, *Mor.*, c. xii. Quod confirmans Sanctus Augustinus : « Cum attendere, inquit, quid sis accepturus, omnia tibi erunt villa, quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias; miraberis, tantum dari pro tanto labore; nam utique, fratres, pro æterna requie labor æternus subeundus erat; æternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes; sed si æternam sustineres laborem, quando ventres ad æternam fecilitatem? » S. AUG., in *Ps.* xxxvi. Hinc de Sancto Francisco Seraphico legitur, quod interrogatus, quomodo vestitu tam tenui posset se ab hyemalis algoris asperitate tueri, responderit : « Si supernæ patriæ flamma contegeremur interiorius, frigus illud exterius facile portaremus. » Idem confirmavit mater S. Symphoriani adolescentuli, quæ ob tenellam filii ætatem valde metuebat, ne ob carnificum violentiam adeo terretur, ut periculum culpam, quæ remittitur, inquit recte S. Bernardus. l. X, *Mor.*, c. v. Vapulem sane, ait idem alibi, vapulem, ut male operans, si forte verbera in merita reputentur; fortassis miseretur flagellato, qui bonum in me non invenit, quod remuneret Sponsus Ecclesiæ : Jesus. S. BERN., *de Convers. ad Cleric.*, c. xxx. Facit totidem fere verbis cum S. Gregorio S. Laurentius Justin. inquit : Tunc patienter illata flagella toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus, quia per hoc, quod culpæ pondus agnoscitur, afflictionis pœna levigatur. Pa-

« Considerare injuriantem ut amicum » potius, quam « inimicum » : ita B. Baptista Verana suavitatis dicens : « Quando anima crescit

in gratia, non cognoscit amplius inimicos, imo quamlibet personam, quæ adjuvat ad salutem, cognoscit pro amico. Totus mundus et infernus sunt ei amici, tantum se pro inimico habet; et non invenit illam personam, quæ impediatur ejus salutem, nisi suos inordinatos affectus : et postquam pacem secum fecerit, non habet, de quo doleat. Beatus, qui pervenit ad hunc gradum tunc est reconditum principium futura impassibilitatis; hic est occultus thesaurus cordialis pacis mentalis, et qui huc non intrat, non scit, quid si bonum in hac vita mortali. Hic anima jubilat cum Deo, Deus pacem vult, quia Rex pacificus est, et cum hominibus pacificis in domo quieti vult habitare. » 4. p. *Chr. S. Franc.*, t. II, l. VII, c. xxvi. In eundem sensum recte Sanctus Chrysostomus ait : « in insidiis et calumniis injuriam non patimur, sed illi, qui faciunt : ait enim anima, quæ peccat, ipsa morietur. Peccavit autem, non qui male passus est, sed qui male facit. Certe si mansuetudinem exhiberemus, essemus omnibus insuperabiles, nec ulla ad nos injuria pertinere, eodem Sancto teste. » S. CHRYS., *hom. lxxviii, ad Pop. Iud.*, *hom. xiv, in Epist. ad Rom.*

« Considerare peccata sua » : tunc enim, teste S. Gregorio, illata convitia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala recurrimus; bene quippe videtur, quod injuria percutimur, dum conspiciamus, quia pejus est, quod meremur. Imo quasi aqua ignis extinguitur, cum exurgente fervore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur. S. GREG., l. XX, *Mor.*, c. xvii. Et iterum : Dolor flagelli temperatur, cum culpa cognoscitur; quia tanto quisque ferramentum medici patientius tolerat, quanto magis putridum conspiciat, quod secat. L. XX, *Mor.*, c. xvii. Vere enim non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad præteritam culpam, quæ remittitur, inquit recte S. Bernardus. l. X, *Mor.*, c. v. Vapulem sane, ait idem alibi, vapulem, ut male operans, si forte verbera in merita reputentur; fortassis miseretur flagellato, qui bonum in me non invenit, quod remuneret Sponsus Ecclesiæ : Jesus. S. BERN., *de Convers. ad Cleric.*, c. xxx. Facit totidem fere verbis cum S. Gregorio S. Laurentius Justin. inquit : Tunc patienter illata flagella toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus, quia per hoc, quod culpæ pondus agnoscitur, afflictionis pœna levigatur. Pa-

tienter unusquisque adversa portat, cum pie meminit, quod in se habere fortasse, in quo ipse debeat tolerari, et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit peccatis alienis non parere, qui proximo, vel Domino sæpe se recoilit parcenda perpetrasset. S. LAUR. JUST., *de Lig. Vit.*, c. v.

« Considerare objecta quædam exhilarantia » : sicut enim (ait S. Basilius) qui minus acris sunt oculorum acie, eos avocant ab intuitu rerum splendidarum, defigunt vero in flores, et quæque viridantia, ut refocillentur, haud secus anima oblutum avertere debet a verbis molestis, et mœrosius plenis, obvertere vero ad eorum contemplationem, quæ bona et jucunda sunt. Tum autem assequeris, ut semper gaudeas, si vitæ quidem tuæ institutum, ratiove omnis Deum collineat, ac spectet; spes vero retributionis, quæ permoesta sunt vitæ hujus, et tristitia leviora efficit. S. BASIL., *hom. iv, de Grat. act.*

« Considerare, et prævidere imminentes adversitates ante quam veniant » : minus enim, teste S. Gregorio, jacula feriunt, quæ prævidentur, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. S. GREG., *hom. xxxv, in Ev.* E contrario vero, ut Seneca recte advertit, sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Hic nos error decipit, hic effeminat, dum patimur, quæ nunquam nos pati posse providemus. Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexerit. SENECA, l. de *Tranq.*, c. xi, *de Consol. ad Martiam.* c. ix. Cujus rationem assignans Sanctus Gregorius ait : Quia qui improvidus ab adversis deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eumque citius iniunius necat, quia non repugnantem perforat. Qui vero mala imminetia per sollicitudinem prænotat, hostiles incurus quasi in insidiis vigilans expectat, et inde ad victoriam valentior accingitur, unde nesciens deprehendi putatur. Solerter ergo animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversantia præmeditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hoc, thorace patientiæ munitus, et quidquid acciderit, providus superet, et quidquid accesserit, lucrum putet. S. GREG., l. XXXI, *Mor.*, c. xvii.

« Considerare non hominem lædentem, sed dæmonem infligantem » : ita S. Chrysostomus suavitatis dicens : Cum te aliquis in-

festat, ipsum ne respicias, sed dæmonem instigantem, et omnem in illum iram affunde ipsius autem miserere, qui movetur ab eo. Nam si mendacium a diabolo, etiam irasci temere multo magis ad ipso. Cum mordentem videris, considera, quod est [diaboli]; non enim Christianorum sunt scommata. S. CHRYS., hom. I., ad Pop.

MEDIA OBSTACULUM REMOVENTIA. — « Opinionem falsam de tribulatione, qua eandem non nisi ut malum nobis imaginamur, tollere: » nam, teste Didaco de Celdada, gravissimum genus tormenti est metus tormenti; plus aliquando torquet opinione, quam re. Nam res semel toleratur, metus calamitatem amplificat, et multiplicat, et ferit anticipato vulneri, toties repetito, quoties subit ejus memoria. In, c. v., JUDIT., § 12, n. 46. Sapienter etiam circa hanc materiam Epictetus dixit: Homines perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent opinionibus. Verbi causa: Mors non est malum, aliqui enim et Socrati sic visum esset, sed opinio de morte, que malam eam facit. ENCHIR., c. x. Cum igitur impedimur, aut distrahimur, non alios culpemus, sed nosmetipsos, hoc est, nostras opiniones. Alios accusare in calamitate sua, hominis est ineruditum: seipsum, ejus, qui erudiri cepit: nec se, nec alium eruditum. THOM., I, in Dom. 4 post Pasch. Sicut ergo (ut recte suadet Stapletonus) pueris larvas formidantibus, eas in manus tradimus et invertimus, et tractari ab eis facimus: quo re ipsa bene perspecta vanos terrores contemnunt. Equos phantasticos, qui ad nescio quos in via cumulos, aut candidioris coloris objecta subito restitare, et retrocedere solent, statim contra hujusmodi objecta calcariibus admotis impellimus, ut eadem sæpius pedibus conculcent, et sic pavere desinant; ita quisvis in adversis sinistram suam de rebus adversis opinionem corrigere debemus, ut pulchre quondam Socrates Alciadiam non audentem in concionem prodire docuit, dum sic allocutus est: « An non suturem illum (adjiciebat nomen) nihil pendis? an non etiam circumum illorum præconem aut etiam coriarum illum? » fatente Alciadia intulit Socrates: « An non nisi ex hujusmodi concio constat? »

« Exuere inordinatum affectum erga res creatas: » nam, teste Sancto Gregorio, sine dolore amittitur, quidquid sine amore possidetur. Quæ vero ardentem diligimus habita

graviter suspiramus ablata. S. GREG., I. XXXI, Mor. Et, ut Sanctus Augustinus ait, non est in carendo difficultas, nisi cum fuerit in habendo cupiditas. S. AUG., Confess.

MEDIA ROBORANTIA. — « Solidum virtutis, et perfectionis fundamentum ponere: » nam, ut sapienter advertit S. Chrysostomus, non in illarum rerum (adversantium) eventu perturbatio ac tumultus est, sed in nobis atque animis nostris, qui si bene constituti fuerint, quamvis sexcentæ undique oriantur tempestates, in tranquillo ac portu perpetuo requiescimus. Licet hoc et in corporibus cernere, qui enim confirmato est corpore ad valetudinem, quamvis inæquali cœli varietate oppugnantur, non modo nihil mali accipit, sed accessionem roboris exercitatione, et intemperie consuetudinem facit. Sin imbecillum corpus habeat, quam optima fruatur cœli temperatione, nullus tamen illi fructus ex hac cœli æquabilitate erit, cum hæc intestina imbecillitas cœli etiam bonitate lædatur. Itaque omnibus iis, quasi pulvis essent, excussis, assumptoque generoso, et sublimi spiritu, magnum per omnia fortitudinis specimen exhibeamus. S. CHRYS., Orat. I de Provid.

« Amorem erga Deum augere: » perfectæ enim charitatis argumentum notissimum est, teste S. Laurentio Justiniano, in adversis fiduciam non amittere, et virtutes uniformiter semper operari, atque sub Dei disciplina eodem animo, eodemque vultu perseverare. Negligentibus hoc impossibile videtur, amantibus nihil. S. LAUR. JUST., de Dis. Mon., c. xviii, Experta id sponsa, dum ait: « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur: » eo quod leve, inquit S. Bernardus, ducat, quidquid laboris imminet, et doloris. Bene fasciculus, quia non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; id enim, quod in præsentem est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cuius jugum suave est, et onus leve? non quia in se leve (nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo) sed levis tamen amanti. Et ideo et dilectum nominat monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam. S. BERN.,

s. XLIII, in Cant. Recte ergo P. Baltassar Alvarez, e Societate Jesu dicebat, ei qui Dei amorem habet, et per eum sentit divinam Majestatem mittere hujusmodi excitatores (crucis) non esse alias considerationes necessarias, ut eosdem amet, et adoret. Omnes enim illos reputat gratias, omnes nuntios celerrimos, ignitos carbones, ingentia lumina ipsius Dei in se benevolentia: omnes accipit tamquam amoris ejus sagittas, quæ quantumvis ipse sit durus, non tamen sinunt esse saxum. Quosque hoc intelligas, Deus te faciet vacillare: donec hoc tibi sapiat Deus te amaricabit; donec magni hoc facias. Vita, c. LI, § 2. Idipsum pulchre confirmans S. Basilius ait: Anima, quæ semel se modis omnibus desiderio sui adstrinxit Conditoris, jamque insuevit oblectare se tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sine vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam effusionem intercepti aut mutavi per multiplicem, et succedaneam carnalium affectionum mutationem. Quin eâ potius, quæ aliis mororem afferunt, et tristitiam, in cumulum sibi vertet, et accessionem lætitiæ. Ap. STAPLET., th. 4, in Dom. I post Pasch. Hinc Tertullianus causam inquirens, cur S. Joannes Evangelista Romæ ante portam Latinam ab igne manserit illæsus, ita scribit: « Flamma pectus ejus comburens, ignis actionem, qui lebetem agebat suspendit, ibique duos ignes inter se prælio dimicantes, tandem ignis amoris superior evasit, victoriam reportans. » TERTULL., I. de Præsc.

« Spem firmam de Dei auxilio concipere: » nam ibi plus est exitii, teste S. Ambrosio, ubi plus est periculi. S. AMBR., de Joseph. S. EPHR., s. I, de Pat. Si enim, ut optime discurrit S. Ephrem, homines probare et discernere norunt, quantum pondus singula ferre queant animalia, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerant. Si item figulus vasa de luto formans novit, quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec utilia efficiantur, neque ultra, quam sit opus, ea in fornace relinquit, ne adusta corrumpantur; neque minus ea in fornace relinquit, quam necesse sit, ne dissolvantur, nemineque sint usui; quanto magis Deus, qui incomprehensibilis est ineffabilis scientia et intellectu, totusque sapientia plenus, novit, quantis probationibus atque tribulationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere volentes, vitamque æter-

nam consequi desiderantes; sicque fortiter, prompte omnem in spe tribulationem perferunt usque ad finem, tuncque probati, et apti regno cœlorum redduntur. Recte ergo concludit Sanctus Augustinus. Noli timere inimicum; tantum facit, quantum acceperit potestatem. Eum time, qui quantum vult, tantum facit, et qui injuste nihil facit, et, quidquid fecerit, justum est. Saviant, quantum vulnerint, et quantum permisi fuerint peccatores, confirmat Justos Dominus. S. AUG., in Ps. LXI. Porro fructum hujus spei clara ostendit Sanctus Chrysostomus dicens: Deum, sicut oportet, timens et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, et omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in mare decidens immensum scintilla brevis facile deletur; sic quantumcumque Deum timentis illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur ac perduntur. S. CHRYS., hom. xviii, ad Pop.

« Frequenter SS. Eucharistiam sumere: » nam de hac dixit David: Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Et si panis subcinericius Eliam tantopere confirmavit, ut per quadraginta dies noctesque continenter iter faciens, omnes in consensendo monte Horeb difficultates occurrentes facile superaret; quanto magis Eucharistia, utpote ipsum figuratum, hunc effectum præstabit ad cælum tendentibus; hinc recte Sanctus Cyprianus dixit: Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; mens deficit, quam non Eucharistia erigit, atque accendit. L. I, epist. II.

« Aminorum perpersione inchoare: » uti senex quidam verbo et exemplo docuit, de quo Bellouacensis sic scribit: Venerunt quidam fratres ad S. quendam senem in soliditudine, juxta quem pascebant pueri pecora clamose, et inhoneste aliquando loquentes; qui dicebat ei: « Quomodo potes, Abbas, portare verba puerorum istorum, et non præcipis eis, ut taceant? Qui respondit: « Volui, tam diu est, sed vici cogitationem meam dicens: Si hoc modicum non potes portare, quomodo, si venerit tibi majus, portabis? » JOS., IV. « Ubi est fortitudo tua? » GLOSSA: « Qui se vincit, contra omnia fortis est. » MANSI, dis. XIV, n. 5.

ASCETICA.

Tota Ascetæ cura in eo fere consistere

debet, ut bene adiscat, doceatque artem patientiæ, utpote tum ob necessitatem, tum ob eximiam et rarem utilitatem omnibus aliis artibus jure merito præferendam. Hac autem in tribus fere capitibus consistere videtur.

Et primo quidem generalia quædam fundamenta bene apprehendenda sunt, quorum primum est: Ut firmissime sibi persuadeat, neminem sine tribulatione esse, id quod pulchre S. Augustinus super illud Apostoli: Flagellat Deus omnem, quem recipit: indicavit dicens: Ilane omnem? Ubi te volebas abscondere? Omnem. Et nullus exceptus, nullus sine flagello erit? Quid est omnem? Vis, vis audire, quem omnem? Etiam unicuique sine peccato, non absque flagello.

Secundum fundamentum est, ut pari firmitate sibi persuadeat, Deum esse summum « Potentem, » ut adeo non sit malum in civitate et orbe, quod non fecit Dominus: « Summe Sapientem, » atque adeo posse malum omne in bonum convertere, uti Joseph Patriarcha olim confessus est dicens suis fratribus: Nolite timere, num Dei resistere possumus voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, et exaltaret me: « Summe quoque Bonum, » ut adeo quidquid facit, vel permittit, ad nostram utilitatem ordinet, nisi ipsimet velimus in damnum nostrum detorquerer. Unde eleganter S. Augustinus: Quid timet, inquit, homo in sinu Dei positus? Tu de sinu illius noli cadere, et quidquid tibi evenierit, in bonum, et non in malum cedit. Tertium est, ut firmiter credat, nullum proprie dictum « malum esse, » nisi peccatum, eo quod hoc solum separet, aut certe conjunctionem minuat cum vero bono, id est deo; unde recte deducitur commune axioma, quod « nemo lædatur, nisi a seipso, » cum nemo ad peccatum cogere possit. Quartum est, ut etiam certo sibi persuadeat, quod S. Paulus dixit, nempe fidelem esse Deum, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus sustinere. I. Cor. x; 13, I. II, ep. lxxvi. Atque adeo at bene dixit S. Isidorus Pelusiota, in tentationem non incidere, forte impossibile esse, ei autem minime succumbere possibile, cum omnia possumus in eo, qui nos confirmat. *Philipp.*, iv, 13.

Secundo bene pariter apprehendenda sunt præcepta sui regulæ ab arte patientiæ prescribi solitæ. Prima est: « Quod pateris juste, patienter ferre memento. » Quem enim dili-

git Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit: *Hebr.* xi; 6, quem in finem sapienter discurrrens Seneca ait: Affecti sumus pœna, succurat non tantum, quid patiamur, sed quid fecerimus. In consilium de vita nostra mittamur. Si verum ipsi nobis dicere poterimus, pluris litem nostram æstimabimus. Si volumus æqui omnium rerum iudices esse, hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrum esse sine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur; nihil peccavi, nihil feci, imo nihil fateris. Quis est iste, qui se proflitetur omnibus innocentem? Recte ergo S. Augustinus ait: Vulgus hominum injuste se putat tolerare, quæ patitur: at vero vir justus qui seipsum statim in principio sermonis accusat, justitiam Domini prædicat, quod digna meritis suis patientur. Dicit proinde quivis cum Michæa: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. *MICH.* ix, *LUC.* ix, 23. Secunda est: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. » Et hæc regula respondet secundo fini, quem Deus in tribulationibus mittendis sibi præfigit, scilicet « probationi » (quemadmodum prima primo fini, scilicet « purgationi » seu « castigationi » respondet) de qua Apostolus dixit: Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem. *Rom.*, v, 4. Sicut ergo discipulus Philosophiæ aut Theologiæ operam navans, et cupiens speciem hausti sui profectus exhibere, pro magno beneficio agnoscit, et accipit, si quis acriter ejus doctrinam impugnando, occasionem præbeat suæ scientiæ et diligentiæ demonstrandæ, ita non minus beneficium reputare quisque debet, si per varias tribulationes submissas examinet ipsum Deus, an et quantum profectum in virtute fecerit. Tertia est: « Omnes gaudium existimate, Fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. » Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti. *JOB.* i, ii. Atque hæc regula tertio fini, ob quem Deus tentationes ac tribulationes immittit, scilicet amori respondet, juxta illud Apocalypseos: Ego, qui amo, arguo, et castigo. *Apoc.* iii, 29. Porro hoc gaudium tanto erit perfectius, quanto graviores fuerint tribulationes, de quibus illud concipitur. Possunt autem graviores esse tribulationes multiplices ex capite. 1. Ex

« genere » suo seu « objecto »: sic graviores merito reputantur linguæ persecutiones; nam, teste S. Chrysostomo, nihil æque mordet animam ac improprium: nihil æque tabefacit mentem ac disteria et convitia: nam multi viri per convitia sæpe sunt subversi. *S. CHRYS.*; s. in *habentes eund. Spir. fidei*, ser. xxxix, 2 A « multitudine persequentium; » majorem enim calamitatem et acerbiorum dolorem vulnus a pluribus acceptum excipit, inquit idem Sanctus. 3. Si ab « amicis » vel « domesticis » vel aliis, quibus « benefecimus, » oriuntur ejusmodi persecutiones; nam ut Cassiodorus recte advertit, graviter dolet injuria, quæ contingit inseperata; et si inde proveniat dolus, unde sperabatur auxilium. *CASSIAD.* l. v. *epist.* xxxv. Imo, teste S. Chrysostomo, plerique ab amicis convitiis afflicti, aut in suspicionem adduci, videtur omnibus mortibus intolerabilius; *S. CHRYS.*, *h. spec. et DAVID.* cujus rationem reddit S. Gregorius, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissa libertatis: Hinc David in persona Christi dixit: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero homo unanims, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. *S. GREG.* h. xxxv, in *Ev.* 4. Ex « diuturnitate: » ut enim brevitatis minuit, ita diuturnitas non modice auget tribulationem, maxime si etiam liberatio merito sperata, nec tamen impetrata fuerit, tum enim spes dilata non parum cruciat. 3. Ex « circumstantiis quibusdam aggravantibus crucem, et dolorem, quales Lancizius affert septuaginta, ex quibus sequentes sunt potiores, et magis usitate: nolle inquirere auctorem, si non sit cognitus: non se excusare apud ullum: non resistere convitiis (nam suppressus dolor, ut bene advertit S. Bernardus, altius introrsum radicavit, eo acerbior factus, quo non est exire permissus) *S. BERN.*, s. xxii, in *Cant.* non querere defensores non accusare; nec coram Deo suas cruces commemorare (hoc enim magnum foret crucis levamen): non emendicare aut procurare ab hominibus compassionem: nulli unquam, nisi obedientia, vel charitas suadeat, suam crucem revellare; etiam lacrymarum silentium servare: memoriam injuriarum delere.

Tertio comparandum est aliquid myrothecium spirituale continens varia balsama seu lumina ac motiva roborantia contra deliqua pusillanimitatis, abjectionis, despera-

tionis, impatientiæ, etc. occasione adversitatum oriri solita. Talia autem balsama esse possunt omnia fere motiva supra paragrapho non indicata, præcipue autem sequentia quatuor, quæ omni statui hominum sunt magis accommodata. *Chron.* 1. Exemplum Christi; ita enim ipse suavit adolescenti, dum inter adversa jam prope fatigati dixit: Omnes tuas tribulationes intinge in sanguinem lateris mei, et quantumcumque duræ sint et graves, mox molles et leves efficiuntur. 2. Exemplum Sanctorum: si enim solatium est miseris socios etiam homines duntaxat infirmos et imperfectos habere, quantum erit solatium tunc coelites in societatem tribulationum adscitos videre? Utpote de quibus merito canat Ecclesia: Omnes Sancti, quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmas Martyrii. 3. Exemplum filiorum sæculi, tam graves labores ac tribulationes pro vili lucro paucorum numero, momentaneæ voluplati, vanissimæ gloriæ aut honoris tam generose, alacriter, atque constanter perferentem, de quibus merito sibi quisque illud olim S. Augustino dictum applicare poterit: Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris? 4. Exemplum damnatorum, aut certe in purgatorio existentium animarum, cum, quibus pares aut etiam graviores pœnas sustinere millies fuissetis promeriti, an non enim sic gaudebitis per obolun solvere nos posse in hac vita, quod innumeris cruciatibus, ac dolorum talentis in altera fuisset persolvendum? Vere enim quæcumque dura et molesta, quæcumque gravia et horribilia, quæ quisque patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt, inquit recte Sanctus Augustinus. *S. AUG.*, s. cxc. *de Temp.*

Quarto instructus esse studeat ad questiones aliquas asceticas hac in materia proponi solitas, ex solidis ascoseos fundamentis resolvendas; cujusmodi sunt. 1. Cur Deus famulos suos, quo fidelius ei serviunt, quodque plura pro ipsius gloria agunt et patiuntur, eo pluribus persecutionibus et tribulationibus obnoxios esse sinat? Sic enim plerumque fieri testatus est in primis sanctus Gregorius his verbis: Ego fidenter dico, quia minus pie vivis, si minus persecutionibus pateris. *S. GREG.*, l. vi, *epist.* xxvii. Testatus est. 2. Sanctus Macarius dicens: Viri divini preparare se debent ad certamen, et prælium. Ea enim est Christianæ

Religionis via, ut, ubi est Spiritus Sanctus, ibi statim sequatur conflictus, et persecutio. Vides Prophetas, quoniam pacto a contribulibus suis persecutionem passi sunt, in quibus tamen Spiritus operabatur. Vides, quomodo Dominus non ab alia gente, sed a suis persecutione affectus est, nempe a propria tribu Israël, a qua etiam cruce est affixus. Hædem et Apostoli. Itaque statim a cruce transivit Spiritus Paraclitus, et migravit ad Christianos. S. MACARIUS, hom. xv. Testatus est 3. Sanctus Ignatius, qui Parisiis operam dans, et a quodam quæsitus, cur omnia ei tunc prospere fluerent, respondit: Me tacente tacent alii: quiescente quiescunt. Ubi me commovero, invida continuo tempestas exorietur, ejusque fluctibus exagitabor. RIBAD., in *Vit.*, l. II, c. 1. Testatus est 4. Sanctus Franciscus Xaverius dicere solitus, videri sibi nostros nequaquam fideliter militare, si diu nullis insectatoribus exerceantur. MANSI, VII, c. IV, *Ep.* Testata est 5. Sancta Theresia dicens: Semper observatum est, eos, qui Christo Domino vinciores et propiores fuere, plus aliis, laboribus et adversis lincantibus et divexatos esse. LANCZ., op. VI, c. 1, n. 13. Ad hanc ergo quæstionem respondeat, geminas hujus rei esse causas. Prima est « Amor Dei » erga hujusmodi personas: ita 1. testatus est ipse Christus sanctæ Birgittæ dicens: Amici mei tribulantur in hoc mundo aut ad minus supplicium in futuro, aut ad majorem coronam in celo. Nam Petrus, et Paulus pro justitia mortui sunt, sed Petrus amarius Paulo, quia plus dilexit carnem Paulo: et quia Ecclesiæ meæ accepit primatum, debuit et se mihi majore morte conformare. Paulus vero quia plus dilexit continentiam, quia plus laboravit, tamquam miles egregius gladium obtinuit. L. III, *Rev.*, c. XIX, in *add.* Sed et alias eisdem de quodam Episcopo dixit: Propterea quia amicus meus est, et eum intime diligo, ideo quasi amico laboriosius onus impono. L. IV, *Rev.*, c. XXII. 2. Idem testatus est Angelus eidem Sanctæ Birgittæ de B. Virgine dicens: Congruæ hæc Virgo nuncupari potest florens rosa, nam sicut rosa crescere solet inter spinas, ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes. Et quemadmodum quanto rosa se in crescendo plus dilatât, tanto fortior, et acutior spina efficitur, ita et hæc electissima rosa Maria, quanto plus ætate crescebat, tanto fortiorum tribu-

lationum spinis pungebatur. Cum autem ad illam ætatem ipsa pervenit, qua Filius Dei factus est Filius suus, tunc plenissima illa rosa in sua pulchritudine magis dilatari ac crescere videbatur; ac tribulationum spina ipsam acriter stimulantes fortiores et acutiores quotidie efficiebantur. S. 16, *Angélico*. 3. Testata idipsum est B. Maria Magdalena de Pazzis, dum Christum allocuta dixit: Permittis, o Verbum, dæmones configere cum servis tuis, eos ut facias gloriosiores; et quanto majorem gratiam dare vis, et majus lumen ad te cognoscendum, tanto magis fabricas fornaces, et ignes, in quibus purgentur corda ad instar auri, et appareant illorum virtutes tamquam lapides digni, et pretiosi. VIT., p. IV, c. XXIV. Hinc jam olim Ethnici idem de suis diis quoque senserunt, ut Seneca his verbis testatur: Hanc rationem dii sequuntur in bonis viris, qui in discipulis suis Præceptores, qui plus laboris exigunt ab his, in quibus certior spes est. Dicant ergo ipsi: Digni vis sumus Deo, in quibus experiretur, quantum natura humana posset pati; optimi milites ad durissimam mittuntur. SENEC., l. de *Prov.* Secunda causa est « odium diaboli » erga eosdem justos, quod tribus ex causis concipit. 1. Quia per illos magis glorificatur Deus, cujus proinde gloriam in ipsis dæmones imminere cupiunt. Ita Sanctus Laurentius Justinianus indicavit dicens: Præmonebat milites suos Christus ad persecutionum tolerantiam, ne imparati ad certamen accederent: sciebat quippe, semper justis bella ab humani generis Adversario commoveri, quæ non tantum adversus homines, qui invisibiliter infestantur, verum etiam contra hominum Conditorem concitare noscuntur, non tamen ut invincibilis debelleret, sed ut ipsius gloria in hominibus denigretur. Bacchatur itaque adversus justos, per quos utcumque divina proficiscitur laus, quatenus ex laudantium perditione, magnificentiam dimittat laudati. FAS., a *Mor.*, c. XI. 2. Quia hos meritis, et virtutibus abundare videns invidet, ideoque spoliare conatur. Quomodo causam sanctus Chrysostomus indicavit his verbis: In tempore virtutis perfectæ tunc diabolus spirat vehementius. Et quemadmodum pirata, qui mare navigiis infestant, non tunc, ubi conspexerint navim de portu exeuntem invadunt (quid enim hinc fructus caperint, si scapham inanem demergent?) sed ubi

redierit onusta, plenaque sarcinis, tunc demum omnes experiuntur artes; ita sceleratus ille dæmon simul atque viderit aliquos multa collegisse v. g. jejunia, preces, elemosynam, castitatem, reliquasque virtutes omnes, ubi videt navigium plenum esse pretiosis lapidibus, tunc irrumpit undique, thesaurum perfodiens, ut in ipsis portus ostiis scapham demergat, jamque nudos ad eum portum ejiciat. S. CHRYS., n. 3, in c. III, *Isaie*. 3. Quia per justos regnum et potestas Satanæ maxime imminuitur; nam ut recte idem sanctus Chrysostomus ait; numquam magis furit ac sævit scelestus ille dæmon, quam cum ex suis vasibus et instrumentis multa videt diripi. Non est ejus qui parva gessit et mala, malam illam bestiam irritare. Quamobrem quando videt virum justum magna et præclara gerere, et mala pati innumerabilia, ne mireris. Nam contra mirari oporteret, si diabolus multas accipiens plagas esset quieturus, et vulnera placide toleraturus. IDEM, h. XLIII, in I *Corinth.* Recte ergo concludit S. Leo: Intelligentiam, quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab adversariis impetendos. S. LEO, s. I *Quadrages.*

Altera quæstio est, an perfectionis studium admittat defensionem sui contra calumnias, falsas accusationes, et testimonia? contrarium quippe suadere videntur tum Christi, et Sanctorum exempla, neuliquam se, etiam in periculo gravissimorum malorum incurrendorum, defendentium; tum SS. Patrum passim id dissuadentium consilium. Excitabit, inquit S. Theresia, divina Majestas alique, qui verum Patronum vobis tacentibus ageat, sed vos hujus rei recordari nollem, sed gaudere, quod culpe mini. Quod si vos non defenderit, certum est, id minime opus esse. *Itin. Perf.*, c. xv. Ad hanc quæstionem respondeat per duas resolutiones. Prior est, esse omnino licitam, imo et sub præcepto adhibendam defensionem sui, vel informationem, vel excusationem, quando silentium vel infamiam tertii cederet, vel in scandalum aut ruinam aliorum, aut Superior rei veritatem exquireret; nam libertas loquendi, qua justi viri, pro justitia sua usi sunt, teste S. Isidoro Pelusiota, non ex fastu et arrogantia, sed a necessitate nata est. Hæc enim ne juste incommodis affici viderentur, hujus modi voces expressit: « Ut tamen secu-

rius transfigatur hæc defensio, et ne amor proprius, et cupiditas excellentiæ (quæ) ut docent Sancti, origine et peccato prima, in conflictu ultima nos decipiat), recte quis faciet, si se præmissa prece in æquilibrium constituat, et tum vel a Superiore vel Confessario, vel alio prudente viro consilium petat. » S. ISID., l. II, *Ep.* CCLXXIX. Posterior resolutio est, extra dictos casus plerumque esse omittendam sui defensionem, maxime cum, teste Lancizio, experientia probet, multis non profuisse excusationem; et multis, etiam gravissimas infamationes, nec officiorum publice obœndorum cursum, et successum, nec animarum lucra impedivisse. *Opusc.* IX, c. VII, n. 264.

Tertia quæstio est, an saltem sine perfectionis præjudicio licitum sit, a Deo defensionem, et auxilium petere, uti Ecclesiæ et magnorum virorum exempla suadere videntur? Ad quam respondeat cum Lancizio, triplicis generis esse tribulationes, et crucis. 1. Communes, quæ concernunt totam Ecclesiam vel aliam communitatem. 2. Aliæ privatæ quidem sed tamen, nisi avertantur, in damnum communitatis cessuræ. 3. Privatæ et personales, quæ nulli alteri, quam ipsi patienti præjudicium aut damnum afferunt: et in prioribus quidem duabus tribulationibus recte a Deo auxilium peti, uti allata exempla probant; secus vero in posterioribus, in his enim perfectio suadet, non petere a Deo levamentum, ut plus patientiæ exerceatur, si minus levaminis extrinsecus offeratur. Quam ob causam S. Theresiam commendans unam ex Monialibus suis, Beatricem Dignesiam, dicere soliam, insignem quamdam rusticitatem fore, in doloribus, quos Dominus ei immitteret, alleviamentum quærere. L. FUND., c. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem: » *Hebr.*, x, 35, ostendi potest necessitas patientiæ. Et in priori quidem parte illud Thomæ Kempensis dictum per inductionem probari: Convertite te supra (scilicet ad Superiores) convertite te infra (ad subditos, aut alios te

inferiores) converte extra (ad æquales, domesticos, amicos) converte te intra (ad teipsum, et passiones tuas et ubique crucem invenies. L. II, c. 1, § 4. In posteriori vero parte ostendi potest iterum per inductionem, quomodo is, qui vere patientiam didicit, omnes difficultates ex quadruplici illo capite proveniente facile vincat. Pro quo scopo Nicolai Lancizii, opusc. IX, c. et ex p. I. Fabri conc. v, in *Festo inventionis S. Crucis* servare potest.

Ex occasione thematis: « Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei: » *Actor.*, XIV, 21, potest referri mos quarundam Academicorum in quibus studiosi antequam in Matriculam seu Album Studiosorum referantur, variis sanguinis verberibus, et ludibriis (quæ communi nomine « Deposito » vocatur) exerceri solent, dicique similem morem Deum observare, ut qui nullum in eorum velut cœlestem Academiam admittere velit, nisi variis prius tribulationibus exercitum, idque ob easdem fere causas, ob quas Academicæ dicte depositionem instituerunt. Scilicet. 1. Ut ad virtutem disponantur. 2. Ut probentur. 3. Ut sanctis conformentur. 4. Ut digni fiant privilegiis. 5. Ne extollantur super alios. Adhortandi proinde Auditores, ut patienter ferant hanc depositionem, sperentque sibi quondam cum magno solatio dicendum, quod senex ad portam constitutus, et studiosos intrare volentes variis ludibriis exercere jussus, iis, qui patienter eas excipiebant, dixisse fertur: ingredi Athenas, quia dignus es. Pro qua materia fusus deducenda servare potest concio quarta Fabri in *Festo SS. Simonis et Judæ*.

Ex occasione thematis: « Dilectus quemadmodum filius unicornium: » Ps. XXVIII, 6, dici potest Deum ex mente SS. Patrum recte unicorni, non tauro comparari, eo quod hic oculos infra cornu habens non videat, quo feriat: unicornis autem oculos supra cornu habeat, ideoque cum destinatione ferire solet. Ostendatur ergo quam prudenter Deus feriat, seu tribulationes immittat, scilicet ob triplicem finem, castigationem peccati, probationem virtutis, et amoris demonstrationem; indeque auditores ad easdem patienter, libenter, et alacriter ferendas excitentur. Pro qua materia servare potest totum, c. 1, vel etiam II et III, p. III. Gymnasii patientiæ P. Hieremias

Drexellii. Item pro priori parte conc. 1, Fabr. in *Dom.* 20 post Pent.

Ex occasione thematis: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. I Petri. II, 21, potest doceri ars patiendi, et primo quidem explicari regulæ ab hac arte præscribi solitæ, uti §, proxime præcedente num. 3 factum est. Deinde ut excitentur auditores ad hanc artem studiose addiscendam, ostendatur, eam esse præ omnibus aliis artibus summe necessariam, utilem, et honestam, idque argumentis tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus, tum exemplis et similitudinibus petitis, quæ § 2, et sequentibus plurima offeruntur, probari potest; quem in finem etiam concio 5 Fabri in *Festo Inventionis S. Crucis* servare potest. Item in Auctario in *Festo S. Nicol.*, themat. III.

Ex occasione thematis: « Non est discipulus super Magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit, sicut Magister ejus. » Luc., VI, 40, potest desiderium ad artem patientiæ addiscendam excitari, ostendendo, in ea reperiri tria potissima motiva, quæ ad artem aliquam alacriter addiscendam movere solent. Quorum primum est « Nobilitas Magistri » qui et artem bene calleat, et efficacem modum tradendi illam, et promptam voluntatem instruendi habeat, quæ omnia haud dubie Christo in summo gradu conveniunt. Alterum est « Condiscipulorum multitudo, præstantia, et alacritas, » quæ tria in Sanctis, et hominibus justis hujus vitæ pariter in gradu excellenti reperiuntur. Tertium est « Artis, » quæ traditur, utilitas et excellentia, qualis ubique præ aliis reperitur in arte patiendi, utpote quæ conducatur ad summum præmium, et dignitatem in cœlis obtinendam; pro qua materia videri potest Fab. cap. VIII, in *Sezog.*

Ex occasione thematis: « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » Luc., XXIV, 26, potest ostendi viam crucis seu tribulationis, esse viam « certissimam » (juxta illud Christi: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.) *MATT.*, V, 40, « brevissimam » (quia per hanc cito adimpletur mensura meritorum a Deo definita, ita ut dici queat: Consummatus in brevi explevit tempora multa, *Sap.*, IV, 10, « tutissimam » (quia

nihil æque fugiunt hostes, atque hanc viam, cum ibi vel maxime Christus reperitur, atque adeo merito dicere quisvis in ea via constitutus queat: Si Deus pro me, quis contra me? « tristissimam » (utpote quam omnes Sancti calcantur; omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur) *Tim.*, III, 12: « jucundissimam » (tum ob gratissimam societatem termini, ad quem ducit). Excitentur proinde auditores ad eam alacriter currendam, illis Thomæ Kempensis verbis: Eia, fratres, pergamus simul, Jesus erit nobiscum. Erit adjutor noster qui est Dux noster, et præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos qui pugnavit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores. Simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimem gloriæ nostræ, ut fugiamus a Cruce. *Lib. VII, de Imit.*, c. LVII, § 5. Vide Fabrum conc. IV, in *Dom.* 2, *Quadr.*

Ex occasione thematis: « Si dixero puer: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali: I *Reg.*, X, 25, ostendi potest patientiam in tribulationibus esse signum prædestinationis: quem in finem P. Drexelius in *Zodiaco* cap. V serviet. In prima ergo parte probetur tribulationes merito sagittis comparari, tum quia subito ut sagittæ advolant: tum quia profunde penetrant, ut S. David testatus est dicens: Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: Ps. XXXVII, 3, tum quia graviter vulnerant, ut in exemplo Jobi cernere est. In secunda ostendatur, quam vere dicatur: Sagittæ intra te sunt, veni ad me, quia pax est tibi cum Deo. In tertia excitentur auditores ad exemplum cervorum, et caprarum imitandum: dum sagittis confosæ per diætamnum herbam vulneri medentur; sic ergo et illi considerando illud Davidis: Sagittæ tuæ (id est, tribulationes hujus mundi transeunt vox tonitruum tui quæ dices: Ite maledicti in ignem æternum) in rota. Ps. XVI, 49. Videri potest Drexelius in *Gymnas. patient.* part. I, cap. IV, § 2.

Ex occasione thematis: « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: » I *Cor.*, II, 2, potest ostendi utilitas tribulationum, et probari cum sancto Bernardo, quod passiones hujus temporis non sint condignæ: 4. « Ad præteritam culpam, » quæ remittitur. 2. « Ad præsentem conso-

lationis gratiam, » quæ immittitur, juxta illud Davidis: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam: » Ps. XXVIII, n. 40. et S. Pauli testimonium: « repletus sum » consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 3. « Ad futuram gloriam, » quæ nobis promittitur. Qua de materia videri potest Faber. cap. IV, in *Festo SS. Simonis et Judæ*. Item in Auctario, them. I, in *Festo SS. Innocentium*.

Ex occasione thematis: « Virtus de illo exibat, et sanabat omnes, » *Luc.* VI, n. 19, potest ostendi, qualis virtus exeat a Christo ad debilitatem nostram et impatientiam in adversis sanandam. Et 1. quidem per « oculos, » quatenus providit nostras tribulationes, atque in bonum nostrum ordinat; imo et videt, quomodo eas toleremus, ut suo tempore præmiare possit. 2. Per « os suum, » quatenus nos toties ad patientiam inter adversa retinendam excitavit: præcipue dum dixit: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. *JOAN.*, XV, 18. Et: « Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. » *MATT.*, VIII, 35. Et iterum: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudeat, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *MATH.*, V, 41. 3. Per « manus: » quatenus ipse manum suam extendit, et tribulationem hanc aut ipsemet misit, aut ab aliis creari permisit, quemadmodum Job indicavit dicens: Miserimini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. *JOB.*, XIX, 21. 4. per « SS. Vulnera: » quatenus tam benevolens, et generosa eorum receptione, et quotidiana representatione facit, ut nolimus esse sine vulnere quando ipsum Dominum ac Redemptorem nostrum videmus tam graviter, et multipliciter vulneratum. 5. Per « stimbriam vestimenti, » reducendo in memoriam exitum felicem, et gloriosum tribulationum, ut vel sic ad eas fortiter tolerandas excitemur. *Quæ* omnia fusus apud Fabrum cap. VI, in *Festo S. Bartholomæi* videri explicata possunt.

Ex occasione thematis: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: » *CANT.*, II, 3, potest homo patiens tali lilio comparari. Et 1. quidem ostendi, quo-

modo inter spinas versetur; quem in finem servire potest, quod S. Bernardus supra citatum locum dicit: Donec in carne est anima, inter spinas profecto versatur, et necesse est, ut patiens inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Quod si lilius est, juxta sponsi verbum, videat, quam vigilem sollicitamque esse oporteat super custodia sui, septa undique spinis hinc inde aculeos intendentes. Nec enim vel levissimam spinæ sustinet punctiorem floris teneritudo, sed mox ut modice prematur, perforatur. Spina culpa est, spina poena est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. O candens lilius, o tener et delicatus flos, increduli et subversores sunt tecum, vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis. Versari in his, et minime lædi, divinae potentiae est, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, quia ego vici mundum. Etsi igitur undique tibi intendi perspicias tribulationes, tamquam tribulorum aculei, non turbetur cor tuum, neque formidet, sciens, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent, et nitent. Si fœnum, quod hodie est, cras in cilianam mittitur, Deus sic custodit, quanto magis amicum, et sponsam suam charissimam: denique custodit Deus omnes diligentes se. S. viii, in *Cant.* 2. Ostendi potest, quomodo gerere se debeat anima inter spinas tribulationum constituta, id quod idem Sanctus l. c. egregie docet, sic pergens: Non mediocriter profecto titulus virtutis inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiae retinere candorem et morum lenitatem. Magis autem si his, qui oderunt pacem, pacificum et amicum te exhibeas inimicis. Id plane similitudinem datam de lilio, jure quodam proprietatis specialiter vindicabit, quod ipsa utique spinas se pungentes candore proprio illustrare, et venustare non cessat. An non proinde lilius tibi videtur implere quodammodo perfectionem Evangelii, qua orare jubemur pro calumniantibus, et sequentibus nos? Benefacere his, qui oderunt nos? Ergo et tu fac similiter, et erit anima tua amica Domini, et laudabit te de te dicens: Quia sicut lilius inter spinas, sic amica mea inter filias.

Ex occasione thematis: « Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera

mea commorabitur: » *CANT.* i, 12. Dicit potest, varias a variis cruculas collo suspensas in pectore circumferri, videlicet Hispanicas, Turribianas, Ignatianas (id est, ex lectica aut janna cubiuli S. Ignatii factas) Udalricianas, verum suo iudicio optime facere, qui particulam de cruce Christi non materiali, sed spirituali, id est, tribulationibus patienter, et alacriter amore Dei toleratis in pectore suo circumferunt; hanc enim omnes effectus, quos a prioribus speramus, excellentissimo modo in se continere; id quod per partes ostendi potest. Et 1. quidem, quod multo efficacius juvet, quam Hispanica Crux, contra tempestatem illam maxime terribilem extremi iudicii, patet ex illo pii Ascetæ testimonio: Hoc signum crucis erit in celo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Tunc omnes servi crucis, qui se Crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum Iudicem cum magna fiducia. L. II, *de Imit.*, c. XII, § 1. 2. Quod multo majorem virtutem habeat contra febres aliosque morbos, quam S. Turribii, patet ex eo, quod ipsa lignea crux agnita fuerit olim per hoc, quod mulieri agræ imposita statim eam a morbo curaverit; quanto magis hæc virtus spirituali cruci ad curandos animi morbos, ob quos potissimum a Christo suscepta est, conveniet? 3. Quod multo majorem vim habeat ad demones et spectra fuganda, quam Ignatiana crux, patet ex Ecclesie testimonio canentis in officio S. Crucis: Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ: et iterum: Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. 4. Quod etiam pro peste avertenda aliisque malis arcendis majorem vim habeat, quam S. Udalrici, et aliæ similes Cruces, vel ex ipsa totius generis humani liberatione ab universali et gravissima peccati originali et actuali peste, satis liquet. Quæ omnia facile amplius dilatari, et exemplis confirmari possunt.

Ex occasione thematis: « Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis: » *MATTH.*, v, 12. narrari potest, quid Jacobo Patriarchæ evenerit, dum ante, quam Rachele dilecta potiretur, prius lippientem Liam in uxorem assumere debuit. *GEN.*, xxix, 26. Inferatur deinde, idem omnibus evenire, dum nempè prius « gratiam » per multas lacrymas obtinendam et retinendam, atque adeo merito Liæ comparabilem, nobis desponsare; et tum

demum in altera vita pulcherrimam Rachelem, id est, « gloriam » obtinere debemus. Pergatur proin tam in tribulationibus hujus vitæ, per comparationem cum laboribus Jacobi explicandis, tum in pulchritudine et magnitudine gloriæ, per comparationem cum Rachele depingendas: et concludatur, quanto æquius nobis, ac Jacobo, omnes anni in hac laboriosa et misera vita consumpli, videri debeant dies pauci, præ amoris magnitudine.

Ex occasione thematis: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum. » *MATT.*, xx, 23. Possunt afferri, et refutati excusationes, quibus aliqui se excusant a calice bibendo, id est, tribulationibus tolerandis. 1. Quia non meriti sunt tantas afflictiones. 2. Quia existimant, sibi solis exhauriendum calicem. 3. Quia nimis fortis vel amarus eis calix videtur. 4. Quia nimis capax, et fundo carere videtur. 5. Quia propinatur ab ingrata persona. Quæ omnia videri possunt fuse diducta a Fabro conc. v, in *Festo S. Jacobi*.

Ex occasione ejusdem thematis possunt motiva afferri, cur calicem tribulationis libenter bibere debeamus. Nempè, 1. propter « offerentem, » scilicet Deum, quam rationem Christus attulit dicens: Calicem, quem dedit mihi Pater, vis ut non bibam illum. *LUC.*, xxii, 19. 2. Propter memoriam augustissimi Imperatoris ac Redemptoris nostri Christi: quam rationem iterum ipse indicavit dicens: Hoc facite in meam commemorationem. 3. Propter conformitatem cum sanctis, qui prius illum ebiberunt. 4. Propter sanitatem eorum, qui bene affecti sunt dicto nostro amatissimo Redemptori, scilicet propter animas purgantes liberandas. 5. Propter sanitatem propriam, quæ tanto plura facienda est, quanto dignior est anima quam corpus. Hæc autem sanitas tam efficaciter et copiose procuratur per hunc calicem, ut non jam sicut de calice reali caneat quispiam.

Quo tibi potarum plus est in ventre salutem,
Hoc minus et potis hisce salutis habes.

dici cum veritate queat, sed potius:

Quo tibi potarum plus est in mente salutem,
Hoc plus et potis hisce salutis habes.

Ex occasione thematis: « Gloriamur in tribulationibus scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probatio-

nem, probatio vero spem, spes autem non confundit: » *Rom.*, v, 4. dicitur, his verbis breve compendium contineri omnium doctrinarum ad patientiam pertinentium. Et 1. quidem per primas duas partes significari finem remotum (qui est patientia) et proximum (qui est probatio) ob quos Deus immittit tribulationes, quique adeo non leviter nos impellere debet ad eas magno et constanti animo tolerandas. 2. Per illa verba: « Probatio vero spem, » significatur medium ad easdem fortiter sustinendas scilicet spes præmii, de qua dixit Propheta: In silentio et spe erit fortitudo vestra. *ISAIE* xxx, v. 35. 3. Per ultima verba significatur fructus, et complementum patientiæ, scilicet, securitas, et perpetuitas præmii olim conferendi, de quo proin recte Apostolus dixit: Id, quod in presenti « momentaneum » est, et « leve » tribulationis nostræ, « supra modum, in sublimitate, æternum » gloriæ « pondus » operatur in nobis. *I Cor.*, ii, 7. Quæ omnia facile ex §§ prioribus amplius probari possunt.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Jussus fuit Abraham immolare filium suum, cumque in cervicem ejus suspensum jam libaret acinacem, promptum in cædem brachium vox Angeli defuit; ne tamen omnino illius propensa frustraretur voluntas, in jugulum arietis demisit gladium, de quo *Gen.*, xxii, 13, dicitur: « Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres herentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. » S. Zeno Veronensis cum in horum consideratione versaretur, dicebat hæc per difficultia verba fer. 1. de Abraham: « Nec mutatus est vultus ejus, cum esset victima commutata: » cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat et filium. In quibus hæc postrema mihi equidem difficultatem non qualemcumque ingerunt: cum tanta lætitia arietem, cum quanta obtulerat et filium. Nam si exacte rem perpendas, videtur dicere debuisse, majorem cum lætitia obtulisse arietem, quam filium, in arietem enim sola peccidis animalia occumbent, in Isaco vita hominis, et filii primogeniti occidebat. Quid ergo, ait S. Zeno, tam magnanimum fuisse

Abraham, ut æque gauderet arietem ac filium obtulerit, paratus tanta cum alacritate immolare filium, quanta brutum animal mactaret victimam; dicam, postquam Abraham certum erat demetere filio caput, eumque quod ad animi illius promptitudinem spectat, iam obtruncarat, pati coeperat quantum maxime poterat: quid enim acerbius, et intolerabilius homini accidere possit, quam ut sua ipsius viscera laniet? quam ut violentas manus pius pater unico, eique optimo filio inferat, sanguinemque ejus, qui dedit, verset? Postquam ergo hæc animo Abrahamæ semel perfirmaciter sententia in-sedit, neque eam in opus potuit, ingens valentissimi pectoris fortitudo fuit, summaque constantia, quod ne vultum quidem immutavit, quando tantæ gloriæ sibi ereptam de manibus occasionem, sortemque proximæ felicitatis sic permutatam vidit, ut pro Isacco arietem immolare debuisset, cui, si concessum fuisset filium mactare, summum pro Deo dolorem passus, summam simul gloriæ illius passionis tolerantia sibi conflasset. Et hoc est, quod sanctus Zeno voluisse videtur, cum ait: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat et filium. Hinc æstimate, quam gloriosum, ac magnificum sit pro Deo pati. Niss. Dom. 20 post. Pent., § 23.

Refert Blossius, quod, cum virgo Gertrudis commiseratione mota oraret pro quadam persona, quam audierat impatienter conquerentem, quod Deus gravamina sibi immitteret salutis suæ minus convenientia, responderit ei Dominus; Dices illi, pro qua oras, ut, quia sine aliqua saltem tribulatione vel molestia Regnum obtineri non potest, eligat, atque indicet, quænam gravamina sibi utilia putet, et cum hæc ipsi evenerint, servet patientiam. In quibus verbis Domini Gertrudis intellexit, periculosissimum genus impatientiæ esse, quando homo perverse ac superbe eligere vult, quæ ferat, dicens salutis suæ minus congruere, sequere non posse sustinere ea gravamina, quæ sibi a Deo immittuntur. Blossius, in *Conclavi anim.*, c. x.

In vita S. Perpetuæ legitur, quod Sancta quadam cum impatientia martyrium una cum Sodalibus suis subire desiderans, gratiam a Deo obtinuit octavo mense anticipandi partum, idque cum perfecta natæ prolis salute. Acciderit autem, quod dum acerbissimos, quos inter parturiendum pa-

tiebatur dolores, supra modum lacrymaretur, persecutoris ministri eam interrogarint, qua ratione acerbissima martyrii tormenta, quæ pro sequenti die preparabantur, passura esset? Quibus sapiens mulier respondit, inquam: Naturæ debitas pœnas naturali tantum virtute ægre sustineo; quæ autem quantumvis immania pietatis causa subire cogar, divina gratia superabit. NYSSEN. *Sabatho. post. 1 Do. Quadr. ag.* § 5.

«Hic est Filius meus,» dicebat illi Pater æternus, cum in caemine gloriosi montis Thabor illustres gloriæ suæ splendores charis servis suis festinus ostentabat, qui in proboso Calvaria mote Patrem suum illum agnoscebat, et porro appellabat, dicens: «Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;» Luc. xxiii, 46. Non minus se Filium illius ostendit in mediis probris Calvaria montis, quam inter glorias Thaboris. Ut nobis documento esset, ei, qui se Filium Dei, et filii illius naturalis æmulationem gloriatur, premenda ipsidem vestigia, exprimendos mores, ut sit idem inter supplicia, qui inter delicias; idem inter pœnas, qui inter glorias; eisdemque oculis amarum et asperum spectet, quibus suave et dulce fuit arbitratus. *Idem.*

Fuit Elcana, ut sacra habent Litteræ, vir religiosus, ac devotus, duarum simul uxorum maritum, quarum una Anna, Phenenna altera vocabatur. Ex his Annam, quod virtus ejus, et morum honestas, et publici fuga merebantur, impensius amabat. Impropolis sancta hæc mulier, et sterilis, ut secunda Phenenna, et fructa benedictionis cumulata. Sterilitatem Annæ per moleste ferebat Elcana, quod eam occultius amaret. Hoc ita constituto adorianur mysterium, quocum sacer textus hæc memoraturus orditur narrationem historia: «Fuit vir unus de Ramathaim-sophin de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana;» inquit primi libri Regum primis statim verbis, Origenes adamantius notat loquendi formulam, qua sacer Scriptor usus, non ait: Fuit quidam, sed: Fuit «vir unus.» Dicit porro, videri non satis attente sic dictum, aut supervacaneum esse, quod Religiosus hic Elcana, vir unus pronuntiatur, postquam duo non erant, nec adeo necessarium, ut ille vir unus diceretur. Sed exploratissimum est, nec apicem esse absque Sacramento, nec sine mysterio litterulam aliquam in litteris sacris,

die nobis, magne Origenes, quid occulti huic sententiæ insit, qua Elcana Annæ conjunct «vir unus» pronuntiatur. Placet, inquit Origenes: vos ex me illud accipite. Vide, si hoc non pertinet ad laudem justitiae, quod dicitur de eo: «Erat vir unus.» Nos, qui adhuc peccatores sumus, non possumus hunc titulum laudis acquirere, quia unusquisque nostrum non est unus, sed est multi. Intuere autem alicujus vultum nunc irati, nunc iterum tristis, paulo post rursum gaudens, et iterum turbati, et rursum lenis, hæc ille. Non absque mysterio Elcana vir unus dicitur, qui sanctus et justus erat, eoque peccatoribus distabat, qui multiplices sunt. Susceperat Elcana ex Phenenna liberos, ex pietissima Anna nullos habebat. Poterat horum alterum illi immodicam parere tristitiam, alterum abundans gaudium. Qualis vero Elcana, fecunditatem Phenennæ inter, et sterilitatem Annæ, fuit? Forte an elatus ex liberis istius aut desperabundus ex sterilitate hujus? Non sane. Fuit vir unus in utroque fortunæ statu, eademque fronte excepti alterius sterilitatem, fecunditatem alterius, neque ob illam animo lapsus, neque ob hanc elatus: habet hoc justus, et habere debet, quisquis Deo Patre gloriatur, ut sit perpetuo unus idemque, neque varius, aut multiplex, ut sunt miseri peccatores, qui pro statu rerum, in quibus versantur, vel nimium præsidunt inter felicitates, vel plus satis impatientes sunt inter adversa. *Idem.*

Quam accurate Paulus observabat leges filiorum Dei, quando Philippensis scribens, aiebat c. iv, 12. «Scio humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati.» Sed qualis in statibus Doctor gentium perseverat? Respondet Theophilactus: Neque ob hanc laxabatur, neque ob inopiam comprimebatur. Non illum rerum copia extollebat, neque ob inopiam comprimebatur. Non illum rerum copia extollebat, non inopia dejiciebat, non illum penuria tristem, non effluvia arrogantem, non esuries pusillanimitatem reddebatur. *Idem.*

Invitabat olim Sponsa Aquilonem, et Austrum, ut suo spiritu odoriferos flores amoeni horti sui blande afflarent, sic inquam: «Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum et fluent aromata» illius, *Cant. iv, 16 S.* Justus Orgelitanus

expressit in hac verborum formula, quod sacra sponsa quamquam duos simul ventos compellaret, non, «perflate», tamen, sed «perfla» dixit. Sed quomodo duobus ventis, quorum sunt tam diversæ, et adversæ conditiones, tanquam uni loquitur? Auster nimirum, ut est auctor Aristoteles in Problem. sect. 4 blandus, serenus, suavis est: Aquilo e contra rigidus, durus, asper. Secundum hæc, qui factum, quod cum duo essent venti, et venti tam contrarii, tamen velut uni loqueretur, dixerit: «Perfla hortum meum.» Respondet Justus juste in rem præsentem: Quoniam in duobus unus advertitur, non ait, perflate, sed perfla; tamquam dixisset: Quod sponsa uno duorum tam adversorum ventorum a spiritu perflari horti sui aromata petiit, ea causa est, quoniam in duobus unus advertitur, et ventus uterque unus est. Sen Aquilonis furor omnia miscens, tentationes, tribulationes, persecutiones moveat, et erumnas excitet, seu blandus Zephyrus consolationum, quietis, felicitatis, ac prosperitatis, aspirat, uterque illi unus flatus est, nec enim emarcent ejus flores, quamquam Aquilo fluat; nec evanidi fluit, vel si suavis Auster blande aspirat. Quoniam in duobus unus advertitur, semper enim Dei filius, et servus est, junctus unus, constanti inter omnia vultu et fronte. *Idem.*

Improvidus miles est, inquit Bellovacensis, qui se fortem in pace gloriatur; Nemo quippe quantum proficit, nisi inter adversa cognoscit. Unde in Vitis Patrum sequens doctrina legitur: Hæc est magna virtus, quando in infirmitatibus tolerantia fuerit, et gratiarum actio mittitur ad Deum. Si admittimus oculos, graviter non feramus, extollentiæ enim instrumentum amissimus, sed interioribus oculis gloriam Domini speculemur. Surdi facti sumus? Non contristemur, quia auditum vanum amissimus. Manus nostræ æc aliqua passione debilitate sunt? Sed interiores paratas habeamus adversus inimici tentationes. Infirmitas totum corpus nostrum tenet? sed nostro interiori homini sanitas crescit. BELLOV., l. I, *Spec. mor., dist. lxxxix.*

Quando quis qualitatem agri alicujus explorare cupit, an scilicet sterilis sit, an fertilis, communiter illum ligone, vel aratro processum, ac fœtido sterquilinio contectum, deinceps seminat, videlicet qualem sequenti anno fructum producat; si enim ur-